



CAPVT I.

De natura statuque hominum morali.

I.

Natura inde dicta est, quod nasci aliquid faciat,* et directe definitur, quod sit principium actuosum entis internum.

II. Quod non est, producere aliquid non potest; igitur est manifestum quamdam ab aeterno extitisse naturam.

III. Haec aeterna natura, si fortuita dicatur et contingens, rationem sufficientem in se ipsa non habet, ex quo consequitur, vt non tantum aeternae, sed etiam necessariae, atque independentis naturae existentiæ admittendâ sit.

IV. Natura necessario et per se existens neque mutari, neque interire potest, adeoque infinita est, ac simplex, vna, immensa, interminata, et omnia, quae eidem inesse possunt, absolute sine vlllo gradu simul possidens.

A

V.

* Seruius ad Virgil. Georg. II. 49.

V. Nemo non videt mundum esse ens compositum, ac mutabile; igitur caret proprietatibus primae omnium naturae.

VI Sed nec primaeua mundi stamina hanc sibi vindicant dignitatem. Semper enim aliqua indigebant effectrice causa, vt his potius, quam tot aliis possibilibus concurrionibus inter se cohaerescerent, atque hanc causam primam totius vniuersi DEVM nominamus.

VII. Id ipsum ab entis infiniti possibilitate, a pulchritudine et ordine huius vniuersi, ab vnanimi omnium populorum consensu, et tandem a summa huius sententiae vtilitate aliis demonstrari posse visum est.

VIII. Ex his patet, cur Deus, qui omnia nasci fecit, *natura naturans*, et mundus, qui vim sibi a Deo tributam innumeris exferit modis, *natura naturata* nominetur,

IX. Ob eandem causam vires motrices cuiusuis entis existentis *naturae* vocantur particulares, quae, quum a tota essentia separari nequeant nisi cogitatione, ideo etiam *rei essentiae* naturae nomen tributum est.

X. Porro *naturale* est, quidquid vel ex entis cuiusdam notione seu conceptu primo, vel ex eius essentia actu existente, vel ex principio rei cuiusdam actuoso proficiscitur: abiturque in *absolutum* et *hypotheticum*, *essentiale* et non *essentiale*, siue *naturale in specie*.

XI. Quaecunque homini competunt, ea partim ex notione *animalis*, partim ex notione *rationalis* declarari atque intelligi possunt: in his igitur posita et hominis essentia, atque natura.

XII. Rursus animalis essentia duas inuoluit partes corpus atque animam. Illud ex conceptu machinae. mechanico-pyrobolico-hydraulicae sufficienter explicatur.

XIII. Sanum corpus dicitur, si singula eius membra natiuis functionibus suis efficiendis apta sint, secus est morbosum; insunt ergo corporis motibus suae *regulae*, siue *repraesentationes determinationum rationi conformium*.

XIV.

XIV. Si plures ad idem praestandum tendunt, concordant, secus discordant; *variorum concordia est PERFECTIO, discordia IMPERFECTIO*; utraque est *essentialis, naturalis, accidentalis, simplex, composita, privatiua et positiua*. Inde et de corporis perfectione iudicandum.

XV. Quidquid in ente reperitur, vel est cum eo consentiens, vel non est; illud adfert perfectionem, *bonum*, hoc imperfectionem, *malum*; medium igitur inter utrumque statuere absurdum est.

XVI. Animus generatim est *ens sui rerumque extra se positarum conscius*, et teste experientia sentit, imaginatur, ac fingit.

XVII. Sensus hisce subiacet regulis, *ut si res externae non agunt in sensuum instrumenta, nunquam oriri possint ideae seu perceptiones*; ac contra, *ut posita in organis sensoriis, nullo morbo laborantibus, mutationi necessario respondeat idea sensualis*.

XVIII. Phantasia ad eum se adtemperat modum, *ut praesentibus rerum imaginibus quibuscunque aliae vel ante simul haustae, vel iisdem similes integrae aut pro parte, siue in semniis recurrere possint*.

XIX. Ut adiuuetur imaginatio, oportet ideam reproducendam *clare, recenter*, aut *saepius percipere*, aliam perceptionem eidem *sociam* adiungere, sensationem *contrariam*, *fortem vitare*, denique ad illam non nisi post habitas alterius generis ideas debiliores *reverti*.

XX. Obseruamus praeterea in anima nisum, atque conatum, quo alias perceptiones sensuales reproducere, alias vero abigere molitur; si prius fiat, anima dicitur *appetere*, et si posterius *auersari*; habet igitur appetendi, et auersandi facultatem sensitiuam.

XXI. Est autem haec appetitus regula, *ut simul ac obiecta speciei cuiusdam est, appetat omne animal, quod bonum sibi futurum cogitat, aduerseturque contraria*.

XXII. Saepe tamen omne animal citra cogitationem ad aliquid adipiscendum aut propulsandum stimulat. Insunt igitur in illo quaedam propensiones seu *stimuli naturales*, aut *prima naturae*, quae sensum internum, dein cogitationem boni, vel mali, et demum appetitum, vel auersationem propignunt.

XXIII. Bonos esse hosce instinctus nulla dubitatio est, siquidem animantium essentiae, ac conseruationi congruunt, sed ab inclinationibus aduentitiis, quaeque ex sensuum externorum perceptionibus oriuntur, probe distingui debent.

XXIV. Quoties appetitus, vel auersatio sensitua ita augentur, vt vel vnus, vel alterius detur praedominium, anima dicitur subesse *affectui* seu *perturbationi*.

XXV. Si vehementiores huiusmodi commotiones fiant in appetendo, affectus sunt *grati*, si in auersando, *ingrati*, illi ad *laetitiam* et *cupiditatem*, hi ad *iristiam*, et *terrorem* reducuntur.

XXVI. Quando anima in rem aliquam neque propendet, neque ab illa abhorret, dicitur esse *indifferens*; sed si pares aliquid optandi, aut fugiendi rationes videantur, est *in aequilibrio*.

XXVII. Manifestant saepe animalia habitus perceptiones, imaginationes, appetitus et effectus, et eatenus iis tribuitur *loquela*. Omnes hae facultates vtpote brutis communes vocantur *inferiores*, eas excipiunt facultates hominum propriae *superiores* adpellatae.

XXVIII. Praestant nimirum homines brutis, quod non modo res, quae sub sensus cadunt, sed etiam insensibiles, atque incorporeas sibi repraesentare, et hinc ad illas *attendere*, *desuper reflectere*, et quidnam cum aliis entibus commune habeant, *intelligere* possint.

XXIX. Sed magis adhuc excellit animae humanae dignitas, quod notionum vniuersalium similitudines videt, rerum nexum perspicit, atque ideas diuersas inter se componit, et harum facultatum, id est *ingenii*,
ratio-

rationis, et iudicii usu rerum inter se repugnantiam seu falsitatem, et a repugnantia vacuitatem, verbo veritatem apprehendit.

XXX. Qui veritatis, aut falsitatis rationem sufficientem reddere potest, is cognitionem *certam* habet, atque evidentem, qui non potest, eius cognitio *incerta* est, et *opinio* dicitur; cognitionis absentia est *ignorantia*, et ideae ab obiecto discrepantia, *error*.

XXXI. Facultas appetendi, et auerfandi, si ab intellectu, ratione et iudicio determinari potest, *voluntas* est et *noluntas*, seu declinatio; velle igitur, aut nolle in eo non concipitur, qui caret usu rationis.

XXXII. Ratio sufficiens volendi aut nolendi dicitur motiuum seu *momentum*, itaque non nisi boni convenientis, aut disconvenientis mali iudicia, volitionis, seu nolitionis sunt momenta.

XXXIII. Errant saepe homines in iudicando, quare bona tantum opinata ad vera mala, mala tantum opinata ad vera bona spectant: igitur etiam motiua sunt vel *genuina*, vel *spuria*.

XXXIV. Bonum minus quod est maioris impedimentum, adfert imperfectionem, et malum minus, quod maius excludit, causa est perfectionis, tunc igitur bonum minus est *comparatiue malum*, et malum minus *comparatiue bonum*.

XXXV. Quoniam perfectio est concordia plurimum in vno, consequens est, vt posita appetitus sensitium cum rationali, aut volitionum vel nolitionum ipsarum inter se contrarietate, exulet perfectio.

XXXVI. Fiunt in homine plurimae mutationes, quae si in illo ipso rationem habent sufficientem, *actiones*, si in alio *perpeffiones* adpellantur. Sunt vero actiones vel in anima, vel in corpore, vel in utroque simul id est *internae, externae, aut mixtae*.

XXXVII. POSSIBILE homini generatim est, quod nullam in eo ponit repugnantiam, ergo physice

possibile, quod viribus hominis haud repugnat. Inde patet, quod physice impossibile sit. Cuius contrarium est impossibile, id est *necessarium*, quod vero nec impossibile est nec necessarium, est *contingens*. In specie *subiectivae contingens* dicitur, quod ita possibile est, ut etiam eius oppositum respectu virium nostrarum fieri possit

XXXVIII. Impossibile, et necessarium vel *simpliciter* tale est, vel *hypothetice*, ac *cum adiunctione*, si quid aliud adipisci, aut effugere velimus. Necessitas simplex vel *interior* est, vel *exterior*, seu *coactio physica*; Vtraque excludit contingentiam, quae tamen cum necessitate hypothetica perdurat.

XXXIX. PRINCIPIVM est illud, quod rationem alterius in se continet, et ita dividitur, ut sit vel *possibilitatis*, vel *existentiae*, vel cognitionis, dein *internum*, *externum*. *efficiens*, et *removens*.

XL. SPONTANEITAS late accepta, est *facultas entis per principium efficiens internum aliquid agendi sine externa quadam vi*, stricte vero spontaneitas, seu *nudum arbitrium* est, quae ad *actiones physice et subiectivae contingentes* competit.

XLI. Quoniam fiunt actiones in ipso homine, gaudet hic primum spontaneitate latius sumpta, sed quia in agendo attendere et reflectere, vel utrumque omittere tuto potest, gaudet etiam arbitrio

XLII. Quemadmodum ad voluntatem ratio, ita ad rationem attentio requiritur, sed attentionis actus arbitrarii sunt, ergo et voluntatis.

XLIII. Quare nulla in voluntatem cadit interna necessitas, nec coactio physica, sed quae coacta dicitur voluntas coactionem patitur tantum hypotheticam, et cum adiunctione.

XLIV. Arbitrium, quod rationis ope determinari potest, liberum dicitur, seu LIBERTAS; homo igitur, qui rationis usum habet, libertate est praeditus.

XLV.

XLV. Etsi vero intellectus rebus evidentibus assentiri, voluntas vero generatim in id inclinare, quod videtur bonum, aut fugere, quod videtur malum, debeat: salua tamen est facultas μ i certitudinem penitus examinandi, tum de eius bonitate, aut malitia peculiariter consultandi, et se se interim cohibendi, in quo libertas sita est.

XLVI. Inde fluunt nouae actionum diuisiones: alienae enim sunt *animales*, hominis, aliae *humanae*. Illae iterum in nude *arbitrarias*, et *necessarias*, hae in *intellectuales*, *voluntarias*, *liberas* aut *mixtas* abeunt. Quare intellectus, voluntas et libertas actionum humanarum sunt principia.

XLVII. Actio, quae ab ingenti motiuorum exsuperantia proficiscitur, *ultronea* est siue lubens, et plane voluntaria, secus est *inuita*; quod si minis extorquetur, *inuita ob violentiam* secundum quid, si ab errante, aut ignaro fuerit suscepta, *inuita per errorem* audit.

XLVIII. In omni actione libera primo quis se ad agendum determinat, dein actionem consequitur, quam praetermittere etiam potest, ideo libertas datur *determinationis*, *exsecutionis*, et *contradictionis*; datur et libera *cessatio*, seu non factum.

XLIX. Recensitae hactenus humanae dotes inutiles forent sine aliorum auxilio, quare indita est cuique socialitatis appetitio, quam summopere adiuuat facultas *Sermonis*, seu cogitata sua sonis articulatis aliusue signis clare, et distincte manifestandi.

L. Ex dictis apparet tripliciter considerari hominis naturam, I. vt est notio animalis rationalis, II. vt essentia eiusdem existens, III. vt est vis corporis ac animae, quae mutationum rationem continet. Atque hae acceptiones etiam $\tau\omega$ naturali applicandae sunt.

LI. Improperie vero naturae vocabulum pro *ingenio*, *indole*, *consuetudine*, *temperamento*, *generatione*,

ne, et natiuitate vsurpatur; haec enim omnia nos ad aliquid faciendum procliues reddunt.

LII. Verum hae procliuitates non ita comparatae sunt, vt homini libertatem auferant. Potest enim principiis obstarè, melius expendere agendi momenta et inclinationes malas in bonas commutare.

LIII. Ad id attendere neglexerunt non pauci, qui propriam hominis naturam, quae in ratione posita est, cum propensionibus contractis confundere, et falso ex fundamento, quae homini naturalia sint, deducere non dubitarunt.

LIV. STATUS est *complexus determinationum, quae de re quadam vt existentes enuntiarì possunt; et primo in naturalem, et praeternaturalem, seu aduentitium abit; dein naturalis est absolutus, vel hypotheticus, tum essentialis, et non essentialis, seu naturalis in specie; vterque vero vel internus, vel externus. Et inde quid et quotuplex sit corporis, animae et hominis status, colligendum.*

LV. Praeterea determinationes, quae non pendent a libertate, statum *physicum*, quae vero ad actiones liberar, seu MORES referuntur, statum *moralem* constituunt. * Hic iterum *consideratur* vel vt *antecedens* ad actiones, vel *consequens*, tum *antecedens*, vel vt *perfectus* in homine rationis compute, vel *imperfectus*, ** in infante aut demente, &c.

CAPVT II.

*De obligatione, lege, et iure generatim,
ac singulatim naturali.*

LVI. Status animae humanae situ corporis, et organorum constitutione plurimum pendet, mutabilis porro

* Cicer. de fat. init.

** Vid. Exercitat. meam de nat. statuque hominum morali.